



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 633. Usque Ad Annum 726

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117840

§. 43. Leonis Isauri initia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66082](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66082)

demum post annos viginti ad Regnum Sæcul. VIII.
 pervenit, Judæum parentis sui decepto- A.C. 723.
 rem probrosa morte sustulit. Proximus
 vero Yezidi Successor fuit Hichamus
 frater ipsius Abdelmerici filius, qui Sa-
 cras Imagines restitui concessit; ad ali-
 quas etiam Civitates Yezedi mandata
 necdum delata fuerant.

§. XLIII.

Leonis Isauri initia.

Imperatorem Leonem sub initia Regni Theoph. ans.
 Judæi admodum sibi infensum sense- 6. p. 336.
 runt. Nam anno 722. Regni sui sexto
 coegit, ut baptizari se paterentur. At
 ipsi deinde lavabant corpora quasi ab-
 stersuri Baptismum, & manducabant,
 priusquam Eucharistiam sumerent. Mon-
 tanistas quoque vi adegit, ut baptizari
 se sinerent, qui desperatione acti præsti-
 tuto die in Ecclesiis suis se ipsos concre-
 marunt. (*)

Idem Imperator offensus, quod pro-
 hibente Summo Pontifice Ecclesias in
 Italia, sicut in aliis locis faciebat, suis
 divitiis spoliare sibi non liceret, sæpius
 structis

(*) Tam in Judæos quam in Montanistas
 præter sanam rationem & Ecclesiæ Catholicæ
 Spiritum exarsit Leo.

Sæcul. VIII. A. C. 723. structis insidiis eum opprimere conatus est, & efficere, ut alius Papa ordinaretur. Cum quidam Centurio nomine Basilius, Jordanus Chartularius, & Joannes Subdiaconus cognomento Lurion de interficiendo Gregorio Papa conjurassent, Marinus ex Prætorianis Imperatoris & Dux Romæ brevi ante Constantinopoli missus, hoc facinus, ab Imperatore jussus, approbavit. Sed Marino subito Paralyfi correpto, & discedere coacto, irritum evasit consilium. Porro Paulus Patricius in Italiam missus, ut Exarchi munere fungeretur, ejusdem conjurationis societatem inivit; verum ubi Romanis suboluit perfidia, Jordanum & Joannem Laurionem capite damnarunt, & Basilius in Monachum attonsus ad reliquos vitæ dies in Cella se inclusit.

Imperator Marino Successorem misit alium Ducem cum mandatis Papam deponendi; atque Paulus Exarchus collectas ex urbe Ravennate & exercitu, qui in castris erat, copias iter capessere Romam jussit. Tunc vero Longobardi ad tutelam Pontificis Romanis juncti immisum ab Exarcho agmen obsessis viis, qua Romam perveniri poterat, repulerunt.